

**XXIV OLIMPIADA JEZYKA ŁACIŃSKIEGO 2005/2006 - III ETAP**

Quomodo Verres astrologus novus factus est.

Cephaloedi mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. Etat eius honoris cupidus Artemo quidam, Climachias cognomine, homo sane locuples et domi nobilis. Sed is fieri nullo modo poterat si Herodotus quidam adesset: ei locus ille atque honos in illum annum ita deberi putabatur ut ne Climachias quidem contra diceret. Res ad istum defertur et istius more decidunt: toreumata sane nota et pretiosa auferuntur. Herodotus Romae erat; satis putabat se ad comitia tempore venturum si pridie venisset. Iste, ne aut alio mense ac fas erat comitia haberentur, aut Herodoto praesenti honos adimeretur, id quod iste non laborabat, Climachias minime volebat, (...) excogitat, inquam, quem ad modum mense illo legitimo comitia haberentur nec tamen Herodotus adesse posset.

Est consuetudo Siculorum ceterorumque Graecorum, quod suos dies mensisque congruere volunt cum solis lunaeque ratione, ut non numquam, si quid discrepet, eximant unum aliquem diem aut summum biduum ex mense, quos illi exaeresimos dies nominant; item non numquam uno die longiorem mensem faciunt aut biduo. Quae cum iste cognosset novus astrologus, qui non tam caeli rationem quam caelati argenti duceret, eximi iubet non diem ex mense, sed ex anno unum dimidiatumque mensem hoc modo ut, quo die verbi causa esse oporteret Idus Ianuarias, is eo die Kalendas Martias proscribi iuberet: itaque fit omnibus recusantibus et plorantibus. Dies is erat legitimus comitiis habendis.

Eo modo sacerdos Climachias renuntiatus est.

M.T. Cicero *in Verrem actio II liber IV*

Objaśnienia:

Cephaloedium, i n - Kefalodium, miasto na Sycylii  
Artemo, inis Climachias, ae m - Artemon Klimachiasz  
Herodotus, i m - Herodot  
Siculus, i m - Sycylijczyk, mieszkaniec Sycylii  
Graecus, i m - Grek, mieszkaniec Grecji  
iste ovus astrologus - cynicznie o Werresie  
Iste, ne aut alio mense - "iste" odnosi się do Werresa  
cognosset = cognovisset  
summum - tłumacz: co najwyżej